

Nos vero in hac tanta opinionum varietate, in hac rei ipsius obscuritate dicimus, non ideo neganda esse quæ clara sunt, eo quod obscura quædam evolvere aut mente capere nequeamus; cum vero argumenta, quibus mentis humanæ spiritualitatem & immortalitatem comprobamus, valida certe sint atque perspicua, objectiones ex ignota brutorum natura desumptæ certa & evidentia argumenta non labefactant. Igitur his aliisque id genus plurimis quæstionibus non alio respondeamus modo, quam candida ignorantia nostræ confessione; fatemur scilicet hoc nobis esse per solam rationem incognitum; hic tantum pro anima nostra pugnamus, sed ratione sola, neque omnibus difficultatibus ex incognita belluarum anima satisfacere possumus. Argumentum nobis oppositum est ad ignorantiam, non ad *judicium*; contra vero argumenta pro spiritualitate & immortalitate animæ sunt ad *judicium*, atque desumpta ex ipsius rei natura. Id autem maxime cavendum est ne certissimas demonstrationes philosophicis opinionibus misceamus; atque religiosissime præsertim servari debet hæc regula, si agatur de sanctissimis Fidei nostræ decretis.

Objic. 5. Sapientia cap. 20 legitur: *Post hoc, id est post mortem, erimus tanquam non fuerimus Cinis erit corpus nostrum & spiritus diffundetur tanquam mollis aer*; ergo mens aura tenuis, quæ homine moriente evanescit

Resp. N. Conf. Non ex propria persona